



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Quomodo mortui sepelire iubentur mortuos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Se-
ctarii
bona Ec-
clesia ve-
nantur,
non pietas-
tem.

re Christo; sic Bullingerus: [Scribae huic suae legis-
perito hodie similes sunt, qui se non ob aliud, Euan-
gelicis partibus adiungunt, nisi ut rem suam confi-
ciant, & bonis Ecclesiasticis distendant.]

Cui sententiae adeo non repugno, ut non dubitem
plerosque ea de causa recessisse, ut cupiditatibus serui-
rent, disciplinae enim osor est, quisque orthodoxam fi-
dem abnegat. Quia cum conscientiam perdiderunt,
a fide naufragaverunt. Avaritiae vero & libidini con-
scientiam praetendunt.

QVÆSTIO II.

Quomodo filius hominis non habeat ubi caput
reclinet?

Christo vi-
ta tempora-
li pauperri-
me prospe-
ctum.

§. 1. Vlpium nomine dolosos raptores, insidiatores
volucrum superbos intelligunt, sed de literali
sensu agimus. Hanc suam esse paupertatem indicat, ut
etiam bestiarum vita melius, quam suae prospectum
videatur. Vulpes enim φωλεας, foveas, & spelea ha-
bent, in quibus latent, & fecerificant. Volucres nidos,
καθουρνίσκους, ubi obtento quasi velo teguntur. Ita
quoque expressit Syrus, est enim מלל מלל matlela à מלל
relal, tegere, inumbrare, hinc מלל מלל matlele, ymbracula,
quae omnia sunt ex hebraeo מלל tzalal, quod est tege-
re, ymbrare, & מלל tzal ymbra. Eodem modo & cen-
turio loquitur מלל matli quasi dicat tegumentum,
tugurium meum.

§. 2. Paupertas Christi grauis est visa sectariis, ideo
aliter comminiscuntur, filium hominis non habere ubi
caput reclinet. Melanchthon mystice interpretatur.
Id est, tā abesse oportet à Christiana mente cupiditatem omnem,
ut ne sit vsquam ubi caput reclinet. at certe nec Domini O-
ratio, nec scopus illi expositioni cōuenit. Filius homi-
nis non habet ubi caput reclinet, hoc est, cupiditas in
mente hominis Christiani habere non debet, ubi caput
reclinet, at poterat esse opulentissimus, Cressi & Pro-
lomæi thesauros sine cupiditate possidere; at inopia
profusa hominem ambiciosum abigit. domū, agrum,
vitam, possessionē nullā habebat. Cur igitur Melanch-
thon in hunc errorē impiegit? Causa palā, & in prom-
ptu est, ne Apostoli res suas dimisisse opus sit dicere. At
si est ea Christi paupertas, non erant in eius contubernio
speranda diuites. Nec modo id asserit, verū sensus
est, non queri à se diuitias, non posse haberi. Eādem o-
pera Apostolorū quoque paupertas reddit manifestā;
alioqui cogitare poterat scriba: Dominū quidem pau-
perem esse, se vero posse eius consortio distingere, vi-
nunc videmus, pauperimos principū plurimos dila-
re. Monet igitur eandem esse Apostolorū suorum cō-
ditionem, nec vllum qui ea lege nolit esse, in familiare
contuberniū suscipi. Atque hinc apparet quam vanum
sit, quod aiunt Apostolos suarum rerum dominia re-
tinuisse procuratores constituisse. Nam poterat ille i-
dem facere. Deinde cum se Apostoli magis Christo
deuinxerint, quam vllus seruus Domino, & υἱοι &
χρησται possessione & vsu, nec illi paupere Domino diui-
tes, nec Dominus illis diuitibus pauper esse poterat.
Cum omnia quae seruus habeat, Domini sint.

§. 3. Musculus alique queruntur Pontificem Chri-
sti vicarium habere opes, Clementem V. habuisse
gemmam aureorum sex millium, quomodo ergo
Christi, Petrique Vicarius?

Respondeo. Christi vicariū, Petri successorem esse.
Opulentiam Pontificis non esse peccatum, ut nec Mi-
nistriū, qui se Evangelicos dicunt. Adrianus Sarauia
Episcoporum Britannicorum opes sollicitè defendit;
Nulla enim lex est, quae Episcopis, aut Sacerdotibus
eandem paupertatem imperet, qua Christus cum suis
viti voluit. Quin Calviniani damnant anabaptistas,
qui nullos ministros, nisi qui se rebus omnibus abdi-

carint, admittunt. Imo hic laborant; ne Christum &
Apostolos pauperes dicere cogantur.

VERSUS 21. 22.

Alius autem de discipulis eius ait illi,
Domine, permittite me primum ire,
& sepelire patrem meū. Iesus au-
tem ait illi: Sequere me, & dimit-
te mortuos sepelire mortuos suos.

QVÆSTIO I.

Quomodo mortui sepelire iubentur mortuos?

§. 1. Dplex interpretatio. Alii non hoc petiisse, ut
patrem iam vita functum sepeliret: sed ut se-
ni inferiret, donec viveret. Alii negant tam longas
inducias postulasse, sed patri iam mortuo funus para-
re voluisse. Dominum autem id negasse, ut ostende-
ret nihil suo seruitio praefarendum esse.

Hic discipulus erat, qui in eum credēbat, non qui
sequebatur, discretor cogitationum illum eligit, a-
lium repudiat. Ex collatione Luc. & Matthaei con-
stat, bis illi à Christo dictum: ante & post excusatio-
nem, Clemens l. 3. Strom. Philippum putat. Tertul-
lianus de baptismo c. 12. non dicit Matthaeum esse, ut
ostendit Pammelius, quod alii illi impergerant. Pa-
trem fuisse mortuum Chrys. Euthym. Theophyl. au-
ctor constitutionum Monasticarum, quem Basilium
multi putant.

§. 2. Ambigue Christum uti voce mortuorum ad-
iunctā docent. Mortui enim qui sepeliuntur, vere,
proprieque sunt mortui. Quicquid sepeliunt, non sunt
mortui illa morte, qua sepulti, sed alia morte, qualis vocem
describitur Ephes. 2. 1. & 5. 14. & 1. Timoth. 5. 6. Pecca-
to igitur mortui sepeliuntur vita functos. Ita Augustin.
l. 20. de ciuit. Dei, c. 15. Cum ergo ait, & quos hic inueniet
Christus in corpore constitutos, simul significaret, cum iis qui
resurrecturi sunt, iudicandos; etiā ipsos mortuos appellauit, &
bonos, quibus dicitur: Mortui enim estis, & vita vestra abcon-
dita est cū Christo in Deo. Et malos, de quibus dicitur: sine mor-
tuis sepelire mortuos suos. possunt mortui etiā propter hoc dici,
quod mortalia gerunt corpora. Vnde Apostolus: Corpus quidem,
inquit, mortuum est, propter peccatum: Spiritus autem vita est
propter iustitiam, utrumque in homine viuentē, atque in hoc
corpore constituto esse demonstrat: & corpus mortuum, &
spiritum vitam. Et ita clarissime definit. Non autem ista
corporum, sed animarum est. Habent enim & anima mortui
suam in impietate atque peccatis, secundum quam mortem mor-
tui sunt, de quibus idem Dominus ait: sine mortuis sepelire
mortuos suos: ut scilicet in anima mortui, in corpore mortui
sepelirent. Propter istos ergo impietate, & iniquitate in anima
mortuos: Venit, inquit, hora, & nunc est, quando mortui
audient vocem filii Dei, & qui audierint, viuent.

§. 3. Causa negandi facultatem sepeliendi, ut o-
mnes intelligerent, quam sit continuo amplexanda via
gratia Creatoris, etenim cum summum bonum offe-
ratur, illud sine vlla alterius rei cogitatione amplecti
illum oportuit, omniaque Deo committere, qui mal-
to melius nobis consulere, quam nos ipsi, valet.

Alia quoque causae, cur ne exigua quidem indu-
cias dare voluerit, esse possunt: Periculum à domesti-
cis infidelibus aut prauis; nimius in sepultura sumptus
aut cura; testamenti aliorum negotiorum molestia;
sed caput erat, quod ait Lucas, Tu vade & annuncia re-
gnum Dei, illi officio nihil, ne vita quidem parentum,
nec mortuorum funus anteponendū fuit. Quare
os calumniantium obturatur, quasi Christus officium
pietatis vetet. Non enim honorem patri denegare iu-
bet,

Pontifex
quomodo
diues esse
posuit?

